

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Docuit cap. xi, vers. 31 et seq., cavendum a doloso : inde cap. xii monuit beneficium conferendum pio, non impio, nec credendum inimico, etiamsi reconciliationem simulet; nunc idem argumentum prosequitur, docetque cavendum a consortio potentum et divitum, ideoque superbiorum; inde, vers. 12, dat monita, quomodo si quis ab eis vocetur, cum eis agere debeat. Denique, vers. 18, docet conversandum esse cum æqualibus : amicitiam enim et familiaritatem esse debere inter æquales et similes, tum moribus, tum opibus : tales autem non esse divites et pauperes, quorum proinde dissimilem sortem et mores per varias comparationes et antitheses demonstrat. Summa, toto capite docet quam damnosa sint opulentorum et magnatum commercia.

1. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea : et qui communicaverit superbo, induet superbiam. 2. Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris. 3. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur. 4. Dives injuste egit, et fremet; pauper autem læsus tacebit. 5. Si largitus fueris, assumet te : et si non habueris, derelinquet te. 6. Si habes, convivet tecum, et evacuabit te, et ipse non dolebit super te. 7. Si necessarius illi fueris, supplantabit te, et subridens spem dabit, narrans tibi bona, et dicet : Quid opus est tibi? 8. Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis, et ter : et in novissimo deridebit te : et postea videns, derelinquet te, et caput suum movebit ad te. 9. Humiliare Deo, et exspecta manus ejus. 10. Attende ne seductus in stultitiam humiliaris. 11. Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris. 12. Advocatus a potentiore discede : ex hoc enim magis te advocabit. 13. Ne improbus sis, ne impingaris ; et ne longe sis ab eo, ne eas in oblivionem. 14. Ne retineas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis verbis illius : ex multa enim loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis. 15. Immitis animus illius conservabit verba tua, et non parcat de maledictione tua ambulas. 17. Audiens vero illa quasi in somnis vide, et vigilabis. 18. Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute tua. 19. Omne animal diligit simile sibi : sic et omnis homo proximum sibi. 20. Omnis caro ad similem sibi conjungitur, et omnis homo simili sui sociabitur. 21. Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo. 22. Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars diviti ad pauperem? 23. Venatio leonis, onager in eremo : sic et pascua divitum sunt pauperes. 24. Et sicut abominatio est superbo humilitas : sic et execratio divitis pauper. 25. Dives commotus confirmatur ab amicis suis : humilis autem, cum acciderit, expelletur et a notis. 26. Diviti decepto multi recuperatores : locutus est superba, et justificaverunt illum. 27. Humilis deceptus est, insuper et arguitur : locutus est sensate, et non est datus ei locus. 28. Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducent. 29. Pauper locutus est, et dicunt : Quis est hic? et si offenderit, subvertent illum. 30. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia : et requissima paupertas in ore impii. 31. Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala. 32. Vestigium cordis boni, et faciem bonam difficile invenies, et cum labore.

## PRIMA PARS CAPITIS.

1. QUI TETIGERIT PICEM, INQUINABITUR AB EA : ET QUI COMMUNICAVIT SUPERBO, INDUET SUPERBIAM. — Et, id est sic, vel simili modo. Et enim Hebræis est nota comparationis, quæ quia necit similia, hinc idem valet quod sic, uti videre est passim in Proverbiis. Unde Græca pro induet superbiam, habent, ὁμοιωθήσεται αὐτῷ, id est, assimilabitur, vel similis fiet ei, puta superbus fiet cum superbo, et sic legit S. Athanasius tractat. De Virginit. Syrus, qui eccedit ad picem, ipsa adhæret manui ejus; et qui communicat iniquo, induit mores ejus, q. d. Sicut pix contacta manui tangentis adhæret, eique partem sui applicat et agglutinat : sic et iniquitas, qualis maxime est superbia superbi, adhæret eam tangenti, cum eoque conversanti, illique partem sui applicat et agglutinat, atque per eam, velut picem, eum maculat et inquinat, tum in fama, tum in conscientia : famam enim infamia dedecorat, conscientiam peccato, eoque capitali et gravi conspueat. Exemplum est in Lucifero, qui superbiam suam omnibus suis angelis affricuit; et in Adamo, qui eandem in omnes posteros transfudit : hinc tanta ruina angelorum, æque ac hominum.

Porro apposite vitium, præsertim superbia, comparatur pici : primo, quia utraque colore nigro et atro ; secundo, utraque viscosa est, seque aliis agglutinat et affricat ; tertio, utraque gravis est odoris et fetida ; quarto, pix ardens fumosa est, sic et superbia. Denique superbos manet ignis gehennæ, ardens pice et sulphure. Unde Isaias cap. xxxiv, vers. 6 : « Convertentur, ait, torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur ; et erit terra ejus in picem ardentem. » Vide Apoc. xxi, vers. 8. Hinc et pix non est aliud quam combustæ resinæ fluxus, ut ait Plinius lib. XXIII, cap. 1. Causa, cur præ cæteris vitiis superbia se affricet communicanti cum superbo, est tum proclivitas naturæ corruptæ in eam, ac innatus homini amor excellentiæ ; tum quia superbus tumet turgetque spiritu elationis, eumque ore et gestu, totoque corpore exhalat : itaque eundem efficaciter aliis aspirat, perinde ac peste laborans, quia ardentem efflat spiritum ; hinc eo statim vicinos inficit, pestemque suam aliis afflat, de quo mox plura. Adde quod superbus videatur esse generosus et magnanimus, itaque se vocet, et a suis vocetur ; unde fastus ejus amatur quasi virtus, non vitium : in gula vero, libidine, ira, etc., manifeste se prodit vitium, quod virtutis speciem sibi obtendere nequit : unde mox ut apparet, omnes illud horrent et fugiunt.

Antistrophæ Siracidi sunt gnomæ Philosophorum : Plutarchi, lib. De Liberis educandis : « Si juxta claudum habites, subclaudicare disces ; » Hesiodi :

Vicini incincti, incincti venire propinqui ;

Ovidii :

Dum spectant oculi læsos, læduntur et ipsi ;  
Multaque corporibus transitione nocent.

Quærit Aristoteles in *Problem.*, sect. 7, Quæst. IV, cur lippientibus oculis unius, vicinorum oculi lippire incipiant; ac respondet : « Quoniam oculus pars nostri corporis mobilissima est, cæterarum maxime omnium rei sibi objectæ similis reddi potest : quippe qui facile moveatur ab eo qui moveat ; itaque fit ut, cum perturbatum aspiciat oculum, facile ipse etiam perturbetur. » Simili modo in homine mobilissimus est oculus celsitudinis et superbiæ, ut, si cujuspiam exemplum ipsum moveat, illico sponte sua moveatur ad superbiam. Idem, *Quæst.* II, quærit cur oscitante uno vicini illico oscitent; ac respondet, quoniam oscitatio in illa parte fit, in qua residet memoria, cujus sensus tenerrimus est : quare cum oscitantem aspiciamus, illico oscitandi imaginatio et cupiditas excitatur, ut nec cogitantes oscitemus. Sic tenerrimus est in homine excellentiæ sensus, et memoriam superbiendi vellicat qui superbit : quare dum quem vana superbiæ aura oscitantem cernimus, illico eadem oscitamur et ipsi. Idem rursus, *Quæst.* IV, quærit cur tabes, pestis, scabies appropinquantibus affricetur, non autem febris, hydropsis, stupor, etc.; ac respondet quod scabies in extima corporis superficie oriatur et glutinosa sit : quo fit ut tangentem statim inficiat, eique se affricet. Tabes autem et pestis spiritum aeremque vitiant : « Qui autem appropinquavit, talem profecto spiritum trahit, qualem æger ille reddidit. Egrotat igitur, quia morbiferum est quod spiritu trahit. »

Sicut ergo morbi qui a spiritu corrupto nascuntur, ut pestis, illico vicinis sui contagium aspirant, eo quod spiritus facile ab uno in vicinum trahitur : sic pariter res sese habet in convictu et conversatione superbiorum. Superbus enim in incessu, vestitu, verbis, non nisi fastum spirat, ideoque hunc spiritum efficaciter aliis qui secum versantur, afflat : « Morum ergo scabiem affricat convictor convictori ; et : « Balbutire discit quisquis assidue cum balbo vivit. » Plutarchus, tract. De Discrim. amici et adulatoris : Tanta, ait, est vis consuetudinis, ut imprudentes etiam imitemur vitia eorum quibuscum vivimus ; sicut Platonis familiares ejus latitudinem humerorum imitabantur ; Aristotelis amici ejus balbutiem exprimebant ; Alexandri Magni familiares cervicis inflexum, et vocis in dicendo asperitatem effingebant. Causam dat Plato, lib. II De Legibus : « Dum quis, ait, cum pravis hominibus improborum moribus conflictatur, non odit, sed gaudet

magis approbans, quanquam velut per jocum reprehendit. omnians suam ipsius malitiam : tunc profecto necesse est ut similis evadat, gaudens utrisque gaudeat. »

Præclare Seneca, lib. III *De Ira* : « Sumuntur, ait, a conversantibus mores. Et ut quædam in contractos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit : ebriosus convictores in amorem vini traxit; impudicorum cætus fortem et silicem virum emollit : avaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem e diverso ratio virtutum est, ut orne quod secum habet mitigent : nec tam valetudini profuit utilis regio, et salubrius cælum, quam animis parum firmis in turba meliorum versari. Quæ res quantum possit intelliges, si videris feras quoque convictu nostro mansuescere, nullique immani bestię vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est. » Sapiens hujus ævi vera est gnome : « Tales nos esse, qualia sunt quotidiana colloquia; tales evadere, qualia frequenter audimus. » Idem iudicium de lectione : quales libros legis, talis evades; si obscenos, obscenus; si tumidos, tumidus; si spirituales, spiritualis. Etenim lectio colloquium quoddam esse videtur.

Moraliter, disce hic quam consortia malorum sint cavenda, quia sibi similes, puta malos, efficiunt. Sic qui in monasterio vel congregatione versatur cum imperfectis et dyscolis, multas imperfectiones incurrit. Quare, si sapit, detractores, libertatis amantes, otiosos, tepidos fugiat ut pestes. « Proclivis est malorum imitatio, et quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia, ait S. Hieronymus *epist.* 7. Et S. Cyprianus, lib. *De Spectacul.* : « Oculi nostri et aures custodiendæ sunt; cito enim in hoc assuescimus, quod audimus, scelere. Etenim vitiorum exempla oppugnant animum, impellunt, immutant, transformant : miraculo erit inter incendia vel non consumi, vel certe non incalescere. » Idem rursus : « Deplorandus ille status est, ubi jam non vitii excusatio, sed auctoritas datur : nullum enim malum difficilius extinguitur, quam quod multitudinis consensu asseritur, et excusatione blanditur. » Vere enim Seneca : « Insanientium multitudo insaniam est protectio. » Denique S. Isidorus, *epist. ad Claudium ducem*, eum hortatur, ne cum hæreticis colloquatur, etiam spe conversionis eorum : « Quia, inquit, qui tangit picem, inquinatur ab ea. » Et Nazianzenus in *Tetrastichis* :

Si frequens, ait, sis cum malis, eris malus.  
Ne munus unquam sumas de manu mali :  
Veniam suorum nam petit sic erimum.

Porro S. Bernardus, *serm.* 82 *in Cant.*, hanc gnomen adaptat animæ, quæ ex se cælestis, per appetitum terrenorum facta est terrena et carnalis : « Cur non, ait, quæ immortalis facta est, similia sibi immortalia appetit et æterna, ut quod est, appareat, et quod facta est, vivat? Cæterum

contraria sapit et quærit, et mortalibus sese de generi conversatione conformans, immortalitatis candorem quodam mortiferæ consuetudinis piceo colore denigrat. Quidni mortuum appetitus immortalitatem mortali similem, immortalitatem dissimilem faciat? Qui tangit picem (ait Sapiens) inquinatur ab ea : fruendo mortalibus mortalitate se induit et vestem immortalitatis incidente mortis similitudine decoloravit, non exiit. Eam attende, quomodo ejus anima immortalitatem immortalitatis suæ gloriæ fucum mortalitatis invexit, mortalia utique affectando. Utquid enim, cum immortalis esset, mortalia non contempsit et transitoria, contenta sibi similibus immortalibus et æternis? Vidit, ait, lignum quod esset pulchrum oculis, et aspectu delectabile, ac suave ad vescendum. » Hinc liquet quod, sicut corpus animæ est pix, affricans illi, quæ in se spiritalis est, omnes corporeas affectiones, cupiditates et miserias : sic pariter eidem animæ pix est honor, opes, deliciae : hæc enim eam inquinant, faciuntque piceam, puta superbam, avaram, gulosam et luxuriosam.

2. PONDUS SUPER SE TOLLET, QUI HONESTIORI SE COMMUNICAT (honestiori, id est ditiori : honestas enim vocantur opes, quia faciunt hominem in victu et vestitu honestum : est metalepsis et catachresis. Unde explicans subdit) : ET DITIORI TE NE SOCIUS FUERIS. — Græcæ addunt, et fortiori, et ita legendum censet Jansenius; sic enim habent Græcæ, *pondus super te ne tollas, et fortiori te ac ditiori ne communica. Super te*, id est, supra vires tuas, superans te. Unde Tigurina vertit, *ne suscipias onus supra vires tuas, ac proinde ne te ipsum adjungas potentiori te, aut ditiori*; Syrus, *eum qui est honoratior te ne quæras, et ei qui est ditior te ne communices*. Multi ambiunt aulas et auras magnatum et divitum, ut eorum familiaritate honorati sint, ac dignitates, beneficia, officia et lucra caperent. Verum Siracides hic sapienter id ipsum dissuadet, quasi afferens *pondus*, id est, gravamen multiplex, quod in sequentibus per species enarrat. Amicitia enim et convictus, ut sit facilis et jucundus, debet esse inter pares. Unde illud Poetæ : « Si vis nubere, nube pari. » Præclare Seneca in *Proverbiis* : « Si in clientelam, ait, felicis hominis potentisque perveneris, aut veritas aut amicitia perdenda est. » Martialis, inter ea « quæ vitam faciunt beatiorum, » numerat « pares amicos. » Ubi enim sunt impares, superior vult dominari inferiori, illique multa imperat quæ inferior præ metu et pudore recusare non audeat; quare potius servus est quam amicus. Rursus ut in conviviis, congressibus, consessibus, etc., æque et decenter cum magnate compareat, necesse est ut in victu, vestitu, famulis, equis, rhedis, sumptus supra opes suas faciat, easque transcendat, itaque se exhauriat et depauperet. Hæc in sequentibus prosequitur Siracides.

Huc facit illud Senecæ in *Troade* : « Grave pondus illum, inquit, magna nobilitas premit. Sic

Eulio apud Plautum Megadoro diviti postulantem filiam suam tenuis fortunæ in conjugem, respondet nolle se ut filia apud ipsum velut bovem, asinam agat. Sisyphus, Jovis et deorum amicitiam ambiens, fingitur a Poetis ab iratis diis damnatus ad saxum jugiter volvendum. Quo symbolice significant eos qui potentum amici esse cupiunt, gravia in se expensarum, opprobriorum, servitutem, etc., onera suscipere. Hinc illud : « Procul a Jove, procul a fulmine. » Et illud Horatii :

Dulcis inexpertis cultura potentis amici :  
Expertus metuet.

Moraliter Rabanus : « Hæc, ait, juxta mortalitatem nos instruunt, ut semper humilia sectemur, quæ superba sunt penitus fugiamus, » ideoque divitum ac potentum consortia abdicemus, nec eorum opes aut pompas miremur. Læcides Cyrenæus, accersitus ab Attalo rege, respondit, « imagines eminus esse spectandas, » innuens arctam familiaritatem cum principibus minuere virtutis admirationem. Adde et periculum non raro creare. Ita Laertius, lib. IV, cap. VIII. Experiuntur id Confessarii magnatum, principum et divitum, qui præter molestias illis obsequendi, non raro conscientias suas æque ac pœnitentium periculo æternæ salutis exponunt, dum vel ex metu displicendi eis, vel ex studio placendi, non audent eos monere, sed dissimulant quæ dissimulanda non sunt, et laxant non laxanda. Quanto feliciores sunt Confessarii pauperum, qui eos libere monent, facileque ad omnem sanctitatem promoveant ! Hi domini sunt, illi servi.

3. QUID COMMUNICABIT CACABUS AD OLLAM ? QUANDO ENIM SE COLLISERINT, CONFRINGETUR, — q. d. Si cacabo æneo allidatur olla lutea sive fictilis, utique cacabus confringet ollam : ita pariter si dives se societ et impingat in pauperem, utique eum collidet; si enim jurgentur, pauper opprimetur a divite. Cacabus ergo æneus representat potentem et divitem, olla fictilis plebeium et pauperem, vel minus divitem. Unde Græca Justinus habent, *quid communicet olla cum lebetes ? hic impinget, illa conteretur*; vel, ut Tigurina, *quid olla poterit esse rei cum lebetes ? ad quem si offenderit, illa confringetur*; Syrus, *quid communicabit olla figuli cacabo æneo ? qui impingit in eam, et frangit eam*. Eodem cacabi et ollæ apologo trecentis pene ante Siracidem annis usus est Æsopus (hic enim fuit cœvus Soloni, Cræso et Cyro; Siracides vero vixit sub Ptolemæo Lagi); producit enim fabulam duarum ollarum, unius æneæ, alterius fictilis, quæ cum vi fluminis raperentur, et fictilis sibi ruinam metueret, dixit illi æneæ : « Ne metuas; curabo enim ego ne tu allidaris aut collidaris. » Cui fictilis : « Sive, inquit, me tecum, sive te mecum fluvius colliserit, utrumque sine tuo, utrumque cum meo fiet periculo : quare decretum mihi est a te disjungi. » Idipsum reipsa expertus est Æsopus cum Solone. Solon

enim, quia Cræso regi Lydorum beatum se putanti liberius dixerat, ante mortem neminem censendum esse beatum, a Cræso irato neglectus et rejectus est. Doluit vicem Solonis Æsopus, qui tum Sardibus apud Cræsum in honore erat, eumque monuit : « Cum regibus, o Solon, ait, aut nequaquam, aut quam jucundis vime agendum. » Cui Solon : « Minime, ait, imo, nequaquam, aut quam optime. » At Cræsus postmodum captus a Cyro, cum Solonem inclamaret, qui verus dixisset, ante mortem neminem esse beatum, sed posse fieri miserum, idque se suo exemplo discere, movit Cyrum, ut fortunæ humanæ tam volubilis memor, Cræsum dimitteret, et Solonem ob sapientiam per omnem vitam coleret, uti narrat Plutarchus in *Solone*.

Ita se res habet apud homines, secus apud Deum. Deo igitur nostro benignissimo æque ac ditissimo et potentissimo æterna sit gloria, et gratiarum actio, qui nos homunciones vult sibi esse familiares, nec confringitur olla, sed potius æreus lebes : non enim in cruce nostra fragilitas, sed Christus, Patris opes et fortitudo, fractus est, I *Cor.* 1, 23.

Obiter advertite hic quam vetus olimque usitata fuerit Ethica mythica, quæ per fabulas et apologos docet res morales, puta virtutes et vitia. Ita apologo rhamnii periculosum fore Abimelech tyranni regimen docuit *Judicium* IX Joatham, filius Gedeonis, qui Salomonem ducentis et viginti annis antecessit. Joatham post 78 annos secutus Samson, hoc mythicum ænigma proposuit Philistæis : « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, » *Judic.* XIV, vers. 14. Hinc Baruch scriba Jeremiæ, cap. III, 23, celebrat fabulatores Themam, qui scilicet per fabulas Ethicam tradiderunt. Quin et Salomon ipse, *Prov.* IX, proponit apologum sapientiæ ædificantis sibi domum, excidentis columnas septem, convivium instruens, omnesque ad illud invitantis. Pari modo mythica apud Gentiles a priscis sæculis usitata fuit. Fabulas enim et apologos scripsit *Babrius*, seu *Gabrius* Platone antiquior, qui etiamnum exstant; unde et eos subinde cito. Item *Julius Hyginus*, Augusti Imperatoris libertus; *Phædrus* deinde, libertus Tiberii, quem Notis eruditus donatum Nicolaus Rigaltius jam pridem vulgavit; *Festus Avienus*, sub Theodosio; *Porphyrus*, impius licet, scripsit sub Constantino Imperatore opus de fabulis, quod laudat Georgius Pisides, lib. *De Mundi fabrica*; item *Maximus Planudes* et *Antonius Liberalis*. Notæ sunt fabulæ *Metamorphoseon Ovidii* et *Poetarum*. Celebres pariter sunt mythi sive fabulæ *Æsopi*, qui mythologorum princeps floruit sub Cyro et Cræso : huic enim fabulas suas dicavit. Dictus *Æsopus*, id est *Æthiops*, quia labris erat niger, ait Planudes in ejus Vita; genere fuit Phryx. Ratio est, quod fabulæ et apologi, præter novitatem, suos habeant sales et lepores, sua acumina, suas gnomas facetas, sed

rudentes, quibus mire animum oblectant et oblectando erudiunt. Quare Siracides subinde ad apologos suo ævo usitatos alludit, uti hoc loco alludit ad apologum ollæ et cacabi.

4. DIVES INJUSTE EGIT, ET FREMET: PAUPER AUTEM LÆSUS TACEBIT. — Primus hic est modus quo oīa a cacabo, id est, pauper a divite et potente, affligitur et confringitur, scilicet quod dives injuria afficiet pauperem, et insuper in eum fremet: pauper autem injuria affectus queri non audebit, sed tacebit, ne graviorem in se divitis iram et noxam concitet. Græca efficacius pro tacebit habent *orabit*, supplicabit, q. d. Pauper licet sit læsus a divite, ei tamen frementi supplex erit, ut ejus indignationem leniat et benevolentiam conservet. Alludit ad *Prov. xviii, 23*: «Cum obsecrationibus loquetur pauper, et dives effabatur rigide.» Græca hic variant: Romana enim habent ut Noster, nisi quod pro tacebit legunt *orabit*. Sic et alii vertunt, *dives injuriam fecit, et insuper fremet; pauper passus est injuriam, et insuper supplicat*; sed Complutenses sic legunt, *dives injuriam fecit, et ipsum rogabunt; pauper ἠδικῆσας, id est injuriam fecit, et ipse minas patietur*. Sic et Syrus, *dives enim peccat, et dissimulatur; et pauper peccat, et animadvertitur*, juxta illud Juvenalis:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Verum pro ἠδικῆσας, id est injuriam fecit, Noster et alii melius et nervosius passive legunt ἠδικῆσται, id est, injuria affectus est, injuriam passus est. Tigurina, ut utrumque complectatur, pro una sententia dat duas; ait enim: *Si dives injuriam intulit, insuper minabitur etiam; si pauper passus est injuriam, oportet esse supplicem. Si dives fecit injuriam, illi supplicandum est insuper: si cui vero pauper obtulit injuriam, minas protinus audiet*. Dives ergo inter pauperes est sicut leo inter animalia: sicut enim leo grassatur in quælibet, nullumque ei se audet opponere, sed omnes etiam feræ ei se submitunt et permittunt: sic et dives grassatur in pauperes, nemoque ei contradicere valet vel audet; sed omnes ei fiunt supplices, quia ejus rugitum et minas graviorum malorum formidant. Quocirca Diogenes asserebat divitias nihil aliud esse quam velamenta malitiæ: divites enim, cum nihilo sint aliis meliores, omnia sibi licere putant. Ita Laertius, lib. VI.

Quocirca sapienter Seneca, lib. II *De Ira*, cap. XIII: «Potentiorum injuriæ, inquit, hilari vultu, non patienter tantum ferendæ sunt. Notissima vox est ejus, qui in vultu regum consenuerat. Cum illum quidam interrogaret quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem: injurias, inquit, accipiendo, et gratias agendo.» Subdit exemplum Pastoris equitis Romani, qui dum pro filii vita apud Caium Cæsarem supplicaret, Cæsar illico filium necari jussit, ac patrem ad cœnam invitavit: qui dolorem dissimulans, vinum bibebat perinde ac si filii sanguinem bi-

bisset. Quæris, quare? Habebat alterum, quem timebat sibi pariter a Cæsare eripi, si cœstum ei vultum ostendisset. Unde infert cap. XXXIV: «Cum pare contendere anceps est; cum superiore, furiosum; cum inferiore, sordidum.» Idem, lib. III, cap. XIV: Præxaspes, inquit, Cambysi regi intimus, eum monuit ut moderatius biberet. Rex offensus ut ostenderet se mentis compotem, filium ejus pro scopo statuit, ejusque cor sagitta transfixit, ac patrem rogavit an satis certam haberet mentem et manum. At ille negavit Apollinem potuisse certius sagittam collineare. Et cap. XV: «Harpagus, inquit, quoque tale aliquid regi suo Persarumque suaserat; quo offensus, liberos illi epulandos apposuit, et subinde quæsiit an placeret conditura. Cui ille: Apud regem, inquit, omnis cœna jucunda est. Funeribus suis arridendum est.» Ipsemet Seneca indignè tractatus a Nerone discipulo suo, ac tandem enecat, facuit, imo gratias egit. «Seneca, ait Tacitus lib. XIV, qui finis omnium cum dominante, gratias agit.» Vide apologum leonis, asini et vulpis, quem recitavi cap. VIII, 1.

Porro in die judicii Deus hæc divitis et pauperis sortes commutabit: tunc enim dives tacebit, pauper fremet et tonabit, idque merito suæ taciturnitatis et patientiæ, quam habuit in hac vita. In illo enim die Apostoli cœterique Apostolicam paupertatem amplexi, divites impios condemnabunt; judicabunt enim cum Christo duodecim tribus Israel, omnesque gentes, *Matth. xix, vers. 28*. Unde Christus *Lucæ xvi, vers. 9*: «Facite, ait, vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.» Hisce soliis solentur se pauperes, iisque divites extimescant, ac in pauperes sint benevoli et benefici, ut eorum quasi suorum judicium sibi favorem concilient.

5. SI LARGITUS FUERIS, ASSUMET TE (ad suam amicitiam et familiaritatem); ET SI NON HABUERIS, DERELINQUET TE. — Secundus est hic modus quo cacabus ollam, id est, dives pauperem affligit, quod scilicet opes et crumenam ejus emungat. Græca habent, *si utilis fueris, vel si utilitatem apportes, operatur in te, vel opus per te faciet; sin egebis, καταλείψει σε, id est, deseret te*; Complutenses legunt, *καταλείψει σε, id est, affliget te*; Tigurina, *si quis usus tui sit, erunt qui colant te; sin egeas, erunt qui te deserant*; Syrus, *si fueris prosper, colet te; et si pauper evaseris, derelinquet te*. Divites enim uti superbi, ita avari sunt; et quo sunt ditiores, eo plura desiderant, juxta illud: «Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.» «Vermis divitiarum est superbia,» ait S. Augustinus.

Quocirca S. Ambrosius et Beda, imo S. Spiritus divites avaros comparat hirudini, sive sanguisugæ, quia sicut illa sanguinem hominis, sic illi facultates pauperum exsugunt, *Proverb. xxx, 15*: «Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: «Affer, affer.» Notat Plinius, lib. VIII, cap. x, hirudinem

elephanti, dum potat aquam, in ea se hauriendam præbere, ut sic viscera ingrediatur, ejusque sanguinem exsugat: ita divites se suaque offerunt pauperibus, ut eos sibi mancipent, exsugant et exhauriant. Hinc illud Horatii:

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Rursum similes sunt alteri animali sanguinis bibaci, quod ita depingit Plinius lib. XI, cap. XXXIV: «Est animal in xeo semper sanguini capite vivens, atque in intumescens: unum animalium, cui cibi non sit exitus, dehiscitque nimia satietate, alimento ipso immoriens.» Ita divites avari expilationi pauperum jugiter inhiant, donec illi immoriantur, et a morte præsentem transeant ad æternam.

6. SI HABES (OPES), CONVIVET (CONVIVABITUR) TECUM, ET EVACUABIT TE, ET IPSE NON DOLEBIT SUPER TE — a se evacuato, depauperato et exhausto. Pro *dolebit*, Græce est *πενήσει*, id est *laborabit*, quia labor est dolor, et qui laborat, dolet. Verum Tigurina proprie laborem accipit; vertit enim, *si quid habeas, reperies convictorem qui exinaniet te, nec ipse laboret, vel laborabit, q. d. Ipse tuum, non suum, ideoque illaboratum, comedet panem; ipse tuo labore fruatur otiosus et iners, nec tibi laboranti collaborabit; sed coget te laborare, ut ipse iners labores tuos comedat*. Syrus, *si habueris, jucundus faciet confabulationes suas tecum, et exinaniet te, et ipse non compatietur, donec faciat voluntatem suam tecum*. Tertius est hic modus quo dives pauperem affligit, labores ejus devorando, eum evacuando, idque sine suo labore; laborem enim relinquit pauperi, fructum vero ejus sibi otiosus et delicatus usurpat. Quocirca Solon dicebat opulentiam esse matrem saturitatis, saturitatem ferociae ac violentiæ. Divitias comitatur luxus, luxus exit in tyrannidem, dum fœnum migrat in cornua. Ita Laertius lib. I, cap. III.

Nota et ipse non dolebit super te hoc enim signum est amici ficti, et irrisoris. Verus enim amicus sicut bonis amici congaudet, ita malis condolet, juxta illud: «Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus,» *Rom. xii*. Unde Aristoteles, lib. IX *Ethicæ*, cap. III: «Amici, ait, officium est condolare de malo amici sicut de proprio.» Et S. Augustinus, lib. IX *Civit.*, cap. v: «Misericordia (quæ maxime cernitur in amicitia), ait, est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua utique si possumus, subvenire compellimur.»

7. SI NECESSARIUS ILLI FUERIS, SUPPLANTABIT TE (Græce *ἀποκλιναίσει*, id est, decipiet te dolose, sicut qui pedem occulte pedi ambulantis interjicit, itaque eum cadere facit et supplantat); ET SUBRIDENS SPERM DABIT, NARRANS TIBI BONA, ET DICET: QUID OPUS EST TIBI? — Quartus est hic modus quo cacabus ollam, id est, dives pauperem, confringit, q. d. Si dives tua opera indigeat, eam poscet;

sed decipiet te, quia arridens spem dabit narrando bona quæ potest et vult conferre tibi; et dicet: Qua re opus habes? dicito mihi: ego possum et volo te juvare, promovere, et ad magna evehere. Si eges nummis, edicito, habeo quos tibi mutuem, imo dem: si eges tritico, illo horrea mea plena sunt: si eges vestibus, habeo lanam, pannos, tunicas, quibus te vestiam. Quod ex his vis? quo tibi opus est? Ita magna promittens, vana spe te lactabit, donec operam tuam ei præstiteris: qua habita nihil eorum quæ promisit præstabit, nihil tuæ operæ retribuet. Syrus vertit, *placatus (placidus) erit tibi, donec faciat tibi quod desiderat, et decipiet te, et virum felicem vocabit te*. Magna hæc est deceptio divitis, et calamitas pauperis. Nimirum solent divites avari et superbi magnis, sed vanis, spebus et promissis lactare pauperes, donec opes et operas eorum extorqueant, ac deinde calce eos abigunt. Quæ sane magna est ingratitude, inhumanitas et crudelitas, adeoque peccatum clamans in cœlum, *Exodi iii, 7*. Hi sunt *δολέμοροι*, ait Cicero lib. XV *ad Attic.*, qui promissa et verba inania pro mercibus venditant, et, ut ait Sallustius in *Catilinaria*, montesque pollicentur, juxta illud vulgo tritum: «Sunt Hermodori verba mercimonium.» Et illud Ovidii lib. I *De Art.*:

Pollicitis dives quilibet esse potest.

Sapienter et cordate Phocion, apud Stobæum serm. 1 *De Prudentia*: «Ne magna promittas, sed magna præstes.»

8. ET CONFUNDET TE IN CIBIS SUIS, DONEC TE EXINANAT BIS ET TER; ET IN NOVISSIMO DERIDEBIT TE (q. d. Excipiet te opipare, ut tu illum etiam opipare reinvites, ac sic exinaniet et derideat te). ET POSTEA VIDENS, DERELINQUET TE, ET CAPUT SUUM MOVEBIT AD TE. — Quintus est hic modus quo dives affligit pauperem, nimirum quod confundat eum in cibis, scilicet, invitando eum ad convivium, ut sic cogat eum ex decentia et gratitudine vicissim invitare divitem, eique similia convivia, lauta et splendida instruere, quibus ejus opes exinaniet bis et ter, id est sæpius, ac tandem eum jam depauperatum et exinanitum deridebit, quasi stultum, quod ei se socium dare et æquare in conviviis præsumperit, cum sumptibus ferendis non esset par. Quare videns eum ad egestatem redactum, non compatietur, nec succurret, sed deridens et insultans movebit caput dicens: Ecce hunc stolidum, qui mecum in conviviis instruendis magnificentia certare voluit. Ecce sua stoliditate et fastu redegit se ad teruncium, nunc penas per egestatem et famem. Unde Tigurina vertit, *parasitando (adulando) adiget te ad ignominiam, donec te inaniat iterum et tertio, et ad extremum etiam derideat*. Postea conspicatus te deridet, et caput suum movebit adversum te. Syrus, *confundet te placiditate sua, donec faciat voluntatem suam in te semel et iterum; magnificabitur super te,*

et tunc videbit te, et abscondet se a te, et caput suum movebit contra te.

Alludit Siracides ad illud Salomonis *Prov. xxiii*, vers. 1: « Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, et statue cultum in gutture tuo. » Ubi Septuaginta, et mitte manum tuam, sciens quod oportet te talia præparare, ut scilicet par pari reddas, ac simili magnificentia convivium illi instruas, itaque opes tuas exhaurias, imo debita contrahas, teque et tuam familiam perdas. Quocirca Aristophanes in *Nebulis* divites comparat nasturtio, quod ab herbis et plantis vicinis omnem humorem exsugit, itaque eas arefacit et enecat, teste Columella lib. I *De Re rust.* cap. iii. Simili enim modo dives exsugit opes pauperis, eamque exsuceum et exsanguem reddit: sanguis enim hominis pecunia, ait Comicus. Hinc nasturtium dicitur quasi nasi tormentum, ait Plinius lib. XIX, cap. viii; Græce *κάρδαμον* dicitur, quasi *κάρδαμον*, id est, domans caput sua acrimonia. Sic dives cor pauperum domat: naribusque et cerebro ejus est tormentum, dum illud sollicitum esse cogit, artesque et modos invenire ad sumptus, quibus divitis magnificentiae et sumptibus respondeat, eosque quasi adæquet. Pauperibus ergo ambientibus divitum amicitias dicas illud *Osee vii*: « Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor; » quia sicut columbæ ita stolidè amant sua columbaria et hominum amicitiam, ut, licet in dies videant ab eis ova et pullos capi, occidi, vorari, tamen velint eis adhærere, cum eis versari, seque eis dripiendas præbere: sic pariter pauperes divites amicos quærentes, eis se spoliandos et exhauriendos exhibent. Qua re quid stolidius?

Aliter explicat Palacius, *q. d.* Parcissime dives excipiet te in opere suo laborantem, viles tibi cibos et parcos dabit: et, quia mercede tua te frustrabitur, exinaniet te, ac novissime iridebit te.

9, 10 et 11. HUMILIARE DEO, ET EXSPECTA MANUS EJUS. ATTENDE NE SEDUCTUS IN STULTITIAM HUMILIERIS. NOLI ESSE HUMILIS IN SAPIENTIA TUA, NE HUMILIATUS IN STULTITIAM SEDUCARIS. — Græca pro his omnibus hæc tantum habent, *cave ne seducaris mente, et humiliaris in latitia* (hoc est enim *εὐπροσῆν*, pro quo Noster legit, *ἀπροσῆν*, id est stultitia) *cordis tui*; Syrus vero, *cave ne tradaris in manus ejus, et ne erres in defectu mentis ejus*. Nostræ versionis sensus est, *q. d.* Noli, o pauper, dum egres, te diviti vana promittenti nimis humiliare, eique supplicare; sed Deo esto humilis et supplex, qui vere præstat quod promisit, et neminem se invocantem deserit: quare *exspecta manus*, id est, auxilium et beneficentiam, *ejus*, non divitis avari et fallacis. *Attende et cave ne seductus speciosis, sed vanis promissis divitis, in stultitiam, id est stulte, te ei humilies, falso ab eo vitæ subsidium exspectando.* « Noli esse humilis in sapientia tua, » *q. d.* Credes forsā sapientiam esse, diviti se hu-

miliare ad emendicandum victum: at cave, ne per hanc creditam, sed falsam et fallacem sapientiam ei humiliaris; alioqui in ea, quam putas esse sapientiam, seducaris, deprehendesque tuo damno eam non fuisse sapientiam, sed stultitiam. Non negat Siracides quin pauper possit diviti humiliari, ab eoque opem petere; sed jubet ne ita ei humilietur, ut omnes spes suas in eo reponat, neglecto et posthabito Deo: ne ita totum confidat in homine, ut ab eo suspensus pendeat oblitus Dei sui; sed potius Deo fisus, parvi estimet hominum subsidia, juxta illud: « Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus, » *Psal. cxvii, 9*. Et: « Nolite confidere in principibus in filiis hominum, in quibus non est salus, » *Psal. cxlv, 2*. Et: « Beati omnes qui confidunt in eo, » *Psal. ii, 12*. Et: « Maledictus homo, qui confidit in homine, » etc. *Jerem. xvii, 5*.

Rursum vetat ne humiliet se diviti seductori, qui pauperem vana spe exhauriat, et postea frustretur ac deludat, imo a se pauperatum irideat: hæc est enim magna stultitia et seductio. Unde nota: *τὸ seducaris generale est, et multa complectitur, scilicet primo, depauperationem pauperis ob spes illusorias divitis. Secundo, seductionem a fide, qua scilicet pauper a divite infideli vel hæretico cogitur fieri infidelis vel hæreticus, si ab eo vitæ subsidia exspectare velit. Qua ratione hoc ævo multi pauperes a mercatoribus Calvinistis et Lutheranis in hæresim abducti sunt, dum eorum opera in texendo, sarciendo, fabricando, etc., uti noluerunt, nisi fidem, id est, perfidiam suam, amplecterentur. Ita Rabanus, qui legit, *ne in stultitiam, id est, stultos errores, seducaris a vera fide.* « Non humilitatis virtutem dissuadet, ait, quæ in omnibus laudabilis est; sed auctoritatem firmam contra expugnatores veritatis tenere docet, quia nullo modo his est cedendum, sed fortiter resistendum. » Sicut S. Paulus se iis restitisse scribit *Gal. ii et v*, et *II Cor. x*, vers. 4 et 5; Judas vers. 22. *Tertio, seductionem a castitate, justitia et sancta vita.* Sic enim hodie multi pauperes a divitibus aluntur, ut eorum libidini, fraudibus, sceleribus subserviant; quibus sane nimis vili pretio castitatem, sanctitatem et animam suam vendunt. Sensus ergo adæquatus est: « Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitia seducaris, » *q. d.* Noli putare quod sapientis sit, cuicumque se humiliare et substernere, ne humiliatus et deceptus, sero agnoscas et deploras tuam stultitiam, id est, irritas spes tuas, errores, libidines, etc.; ad quas te potens, cui nimis humiliaris, deducet. Noli esse humilis, id est pusillanimis, in sapientia tua, tibi a Deo data, ne humiliatus, id est, pusillanimis factus, in stultitiam seducaris, veritatem relinquens pro falsitate verbis compositis colorata, ait Lyranus, ne facias per pusillanimitatem animi, contra id quod dictat sapientia, id est, stultum aliquid, iniquum et impium. *Sapientia enim et virtus nulli, licet potentissimo, ad**

scelus subdi se patitur, sed omnibus heroice et generose dominatur. Qui secus facit, insipienter et stulte facit, instar bruti cameli, qui poplites flectit, ut in dorsum onera, eaque ingentia suscipiat. Unde Etymolog. cum Græcum, et Evenus Parius apud Artemidoro in *Onirocrit.* lib. I, cap. v, censent *Camelum* dici quasi camerum, *ἀπὸ τοῦ κάμπτει τὸν μηρόν*, hoc est, a curvando femur: « Quia animal dictum camelus, ait Evenus, media femora curvat, ut puta juxta crurum altitudinem concisum ac decurtatum; unde etymon et origo ejus Græcis *κάμηλος*, quasi *κάμμηρος*, hoc est *curvans femora.* » Idem docet Horus Apollo in *Hieroglyph.* Licet probabilius Cæl. Rhodiginus lib. VII, cap. xviii, Varro lib. IV *De Lingua Latina* dicant: « Camelus suo nomine Syriaco in Latinum venit. » Hebræi enim et Syri dicunt *גמל* *gamal*, unde Latinum et Græcum *camelus*. Priori etymo simile dat Isidorus, et ex eo Aldrovandus in *Camelo.* « Camelis, inquit, nomen dedit causa, quod quando onerantur, ut breviores et humiles fiant, procumbant, quia Græci *χαμηλὸν* humile et breve dicunt. » Sic stulte humiliant se mundani, dum ad bona terrena procumbunt, eaque in dorsum suscipiunt, neglecto Deo et cælo. Unde sic apposite dixit Christus *Matth. xix, 24*: « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. » Nam, ut ait S. Ambrosius, *serm. 65*: « Sicut illum (camelum) parvum foramen non capit oneratum mole membrorum: ita et hunc (divitem) introitus sanctus non suscipit gravatum cumulo delictorum. Uterque habet propriam sarcinam suam: ille oneratus est carnibus, iste peccatis; et sicut ille inhabilis est angustissimæ acus cavernæ, ita et hic inconveniens est beatissimo Dei regno; nisi quod camelum corpore compositum natura, hunc autem pravum voluntas efficit. »

Huc facit apologus Æsopi de camelo: « Cum primum, ait, visa est camelus, homines perterriti, et magnitudinem admirati fugiebant. Ubi vero progressu temporis cognoverunt ipsius mansuetudinem, confisi sunt eo usque, ut ad eam accederent. At intellecto paulo post belluæ non inesse bilem, eo contemptus iere, ut et frena ei imponerent, et pueris agendam traderent. » Sic infrenat homines viles dæmon et mundus, cogitque suis cupiditatibus servire, omniaque mundi onera gestare, ut omnium fiat ludibrium. Huc quoque facit apologus formicæ, philomelæ et apis, quem refert Cyrillus, lib. II *Apologorum moralium*, cap. xii, cujus titulus, *Contra eos qui alta adepti magni pendunt magna et alta*: « Cum formica tranquilla æstate, acquisitis recens alis, de terræ latibulis in liquidum aerem evolasset, in amœna densis frondibus arbore jubilantem philomelam invenit. Cui dixit: Tu quis es? At illa respondit: Sum animal volatile, sed quiete júbilo luce pacata fruens. Deinde cum apem circumvolantem vidisset, seiscitata quo tenderet,

mox audivit illam discurrere per flores, ex quibus sibi pastum mellis colligeret. Quibus auditis magni pendens dominationem alarum, gaudens et grata naturæ dixit: Gratias tibi, o natura, quoniam simul de profunditate et obscuritate terrena, atque de sollicitudine congregandi, et labore portandi me ereptam, in hoc loco lucis atque florum vernantium, et animalium quiescentium, ac favi stilla fruendum constituisti. » Sed audi celsitudinis pericula quæ subjicit: « Igitur cum locus iste illam non modicum delectaret, nec ex toto eam propter alas providentia dimisisset, ab ape doceri petivit, si quæ pericula ibi essent. Quæ dixit: Plura certe, nimirum desuper spiritus procellarum, lateraliter ventorum impetus, nunc frigus, nunc æstus. Hinc ungula volucrum de rapina viventium, inde retia tensa lateraliter araneorum. Ad hoc illa respondit: Effugiam omnia juvante providentia. Verum postquam rapidissimo pede, cæli æstate transacta, mellificis edulis deficientibus, gaudiosæ quieti hiemis tempestas successit; procella de sursum irruente, atque eam cum vento pellente, neonon frigoris extra, et famis intra perniciem ipsam circumdante; mox ex alto formica descendens, solitum cœpit effugium in antiquo territorio requirere. » Vide hic superbientis depressionem et calamitatem. « Cum itaque necessitate cogente ad dimissum latibulum accurrisset, et clausum reperisset, pulsanti ab ostiaria responsum est: Unde venis, et quid portas? Cui illa: De aere, inquit, venio, et alas mecum porto. Mox illa: Nullum, inquit, hic alatum genus habitat; et qui non secum detulit fructum, inviolabili lege hinc excluditur. Tunc desperata formica locum aereum detestans, et primum laudans, exclamavit: Cognosco certe fallacem celsitudinem lucis hujus mundi a sapientibus fugiendam, utpote quiete privatam, securitatis nesciam, hinc inde innumeris vallatam angustiis, et vitalis vacuum libertatis. Quam felix sane est illa fovea obscuritatis humilis, semper stabilis, undique tuta, dulcis amicarum sororum politia, bonorum vitalium regio quietis plena! Et sic in malis formicæ prudentia quidem reddita, vita tamen ejus per superbiam est interempta. »

Præclare S. Ambrosius, lib. *De Jacob*, cap. viii: « Manet, ait, semper inter adversa et delectabilia perfecta virtus; neque adversa de perfectione ejus quidquam minuunt, neque delectabilia adjungunt perfectioni. » Et post nonnulla: « Perfecti enim viri est communitatem naturæ sustentare animi virtute, et ad meliora adducere, nec succumbere iis quæ plerisque terribilia et formidolosa videntur; sed quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursum, conflictus subire, et quasi providum gubernatorem navim in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium sulcando undas, quam declinando. » Huc facit apophthegma B. Laurentii Justiniani: « Vera humi-